

cum fuerit de spe sua res ac  
cepturi sumus mercedem de  
narium. Ipa enim merces  
reducitur operarius munera  
laborantibus secundum eua  
gelium quod credo remem  
bera. Neque enim omnia com  
memoranda sunt tamquam  
rudibus et imperitis. **Salv**

ne mortis et opum mi  
raculis imbuerebat. ut de  
et unigenitus dei et filius  
hominis crederetur. Nam  
unum horum sine alio au  
non poterat ad salutem  
et equis erat. Proinde co  
mum illum fuisse. aut  
dum tantummodo sin  
omne. aut. **Salv**

nos



Tom. *Pruell.* 59.

~~G. 17. 2.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-42.*

SIGNAT. CLVCCCXIII.

*B. 17.*

DISPUTATIO DE  
HÆRETICIS, AN ULTI-  
mo sint affiendi sup-  
plicio.

*Per Dei gratiam.*

PRÆSIDÈ  
REVERENDO ET

CLARISS: VIRO, IACOBO HEER-  
BRANDO, Theologiæ Doctore, & Professore ce-  
leberrimo in Academia Tubingensi, Præceptore suo

omni obseruantia colendo, M. IOANNES

VVALCH Schorndorffensis, 4. Maij, hora

sexta matutina, in aula noua, subse-

quentes Theses pro viribus

defendere conabi-

tur.



TUBINGÆ,

ANNO M. D. LXXVI.

I A M B V S.  
M. IOANNIS VVALCHII RESPON-  
DENTIS, IN PAPAM, RELIQVAMQVE TRV-  
cem, cruentam, & plus quàm Sodomiticam libidinem exercentem  
Pontificiorum turbam, quorum omnium Maxima hæc est:  
HAERETICVS, id est, Lutheranus, A D  
IGNE M.

**C**Vr immerentes usq; uexas perfide,  
Innoxiumq; ferrum stringis in caput,  
Diraq; Christi flamma torres martyres,  
Qui te feri metuendis Orci faucibus  
Volunt & atræ ereptum mortis crimine,  
Ne grande Sisyphijs saxum ceruicibus  
Incumbant. Vsq; tamen cruenta innoxijs  
(Non sic agat Phalaris) meditaris funera?

Gregorius 7. Ma-  
gus fuit. Ioan. 13.  
semetipsum Dia-  
bolo corporaliter  
tradidit. Et innum-  
meri alij ad Papa-  
lem ascenderunt  
dignitatem, socio  
sibi ascito Satana.

Heus sacrilega & malè rafa cohors, sicco tuos  
Quin admoues palo Papas Veneficos  
Magos, & indomitis qui turpe, proh pudor,  
(Episcopos) uicium mulabus inferunt.  
Qui congregiuntur masculis nepotibus,  
Sacrum prementes turpiter connubium.  
Heu grande nefas, scelus haud auditum à seculis.  
Tu magne Olympi rector, & mundi arbiter,  
Grauibus, precor, statuas tandem ærumnis modum,  
Illustre letis exeras terris caput,  
Longisq; hebetata malis solare pectora,  
Rabidas trifulco Tigres tunde fulmine.  
Et qui pios Vulcani torrent ignibus,  
Hostu gehennæ preme flammis Plutoneis.

MANTVANVS.  
Petriq; domus polluta fluente,  
Marcescit luxu. Nulla hic arcana reuelo,  
Non ignota loquor, liceat uulgata referre.  
Sic urbes, populiq; ferunt, ea fama per omnem  
Iam uetus Europam, mores extirpat honestos.  
Sanctus ager Scurris, uenerabilis ara Cinedis  
Seruit, honorandas diuum Ganimedibus ædes.

# IACOBVS HEER.

BRANDVS D. PIO

Lectori S.



*EDIDIT* haud ita pridem maledicum, virulentum, seditiosum, & blasphemis refer- tum librum, contra piam, & sacrosancta Scri- ptura fundatam, ac munitam Ecclesiarum nostrarum (Augustanam dico) Confessionem, quidam Andreas Fabricius: Centones quos- dam male consuens, omnium nempe Pontificiorum Scriptorum, qui aliquid contra eam scribere tentauerunt, ab eo tempore, quo primum est exhibita, in vnum volumen colligendo. Cui colo- phonem ipse imponens, & coronidē, Censuram suam Aristarchus grauius, heptapla conficiens, aspergines subinde suas alli- nens, addidit: Harmoniamq; Augustanae Confessionis titulum libro inscripsit. In quo passim eam arrodit, ac miserè traducit, mirificè sibi placens, excogitato vocabulo *Varietatis*, quam illi obijcit, palmarium id sibi putans: *varietatem* autem vocans re- cognitionem, illustrationem, vberioremq; rerum multarum ex- plicationem. Vbi etsi quid hac in parte, ab vno viro, authore peccatum esset: cur adeo seuerus est Censor, vt id toti causae, & Parti, fraudi esse debere censeat? Deinde, ea, quae rectè à nostris suo loco dicta sunt, passim malè detorquet, detruncat, deprauat, inq; sensum prorsus alienum, quem eis affingit, per calumniam conuertit. Quod boni viri non est, ne dum Theologi, & facile à quouis scurra fieri potest. Cum nihil tam benè, tam cautè, & circumspectè dici possit, quod malè narrando deprauari nō queat.

Maximè verò in Epistola sua Dedicatoria, quam ad Il- lustrissimos suarum partium Germaniae Principes scripsit, non ipsam solum Confessionem Augustanam miserè exagitat, & calumniatur, Helenam Saxoniam, quae pro verbo Dei adore-

A 2 tur,

tur, profanam meretricem, quæ non nisi cædes, bella, turbas & seditiones excitet, Imperijq; euerfionem foueat, fuprema imis, diuina humanis commifceat. Omnem deniq; poteflatem tantum non pedibus conculcet, nihilq; nifi vanitatem & impietatem includat, infanosq; Lutheri errores, aduerfus Chrifti Ecclefiam profufos comprehendat, appellans: verumetiam in eius Profeffores plauftra conuiciorum congerit: fidei, quam Apoftoli prædicauerunt, defertores vocans, feftarum Magiftros, qui crudeliter aduerfus Chrifti membra latrent, peftifera & deplorata membra, peftilentes & nefarios homines, Satanae fuffegtionibus acquiefcentes, Imperatoriam dignitatem calumnijs fuis vilem reddentes, corruptos peruicacia, Hereticos, Rebelles, monftrofo homini Luthero, qui virulentos Draconis flatus exceperit, aures patefacientes. Qui meretricia quadam impudentia Chriftianam doctrinam impugnare non vereantur, peftilentiffimos feductores, Hereseop Magiftros, iuratiffimos Ecclefiaefte hoftes, qui vniuerfam Religionem euertere machinentur, Heresiarchas, cum quibus Hereticis omnia hætenus fruftra fint tentata, Colloquia nempe, Edicta publica, excommunicatio Pontificis fupmi, Oecumenicum deniq; Concilium ipfum Tridentinum.

Ideo clafficum canens tuba feditionis, ad arma vocat Cæfaream Maieftatem, & Principes Imperij, vt hanc luem ab Ecclefia Chrifti auertant, malumq; domesticum congrua feueritate, ne vniuerfum Chriftianæ Reipub. corpus ad extremum inficiatur, refcindant. Gladium enim iufticiae diuinitus illis ad Ecclefiaefte defenfionem, & vindictam malefactorum, efte traditum. Accingatur itaq; gladio fuo fuper fæmur potentiffimus Imp. Hereticos, & Chriftiani nominis hoftes perniciofiffimos (Lutheranos intelligens) fub iugum mittat. Vtilem hanc efte fanguinis profufionem. Quid enim peftiferum membrum in corpore? Quid homo desperatus in Reipub? Quid vrfus in vinea? Quid  
lupus

*lupus in ouili? Quid proditor in castris? Quid seditiosus in ciuitate? Quare vnicam penes principes & Magistratus superesse auctoritatem, vt ea quæ nuper in Tridentina Synodo Spiritus sanctus definiuit, exequutioni mandent, & sequantur.* Spiritus Satanæ.  
*Sicut olim Martianus Imperator Chalcedonensis Concilij decreta exequutioni demandari decreuerit.*

*Hactenus verba Fabricij, ex Epistola tantum præliminari. Quantum putas, amice lector, in toto libro esse conuitorum? His & similibus flosculis nos, nostramq; verè piam Confessionem calumniator ille, maledica & maledicta sua loquacitate coram vniuersa Ecclesia exornat: quibus an non satis nos esse laudatos arbitraris? Quæ enim conuicia rabiosa illa bestia infernalis non euomuit, contra homines innocentes, pietatis & pacis studiosissimos? Quis in Hypocritis illis pietatem, humanitatem, & pacem simulantibus & profitentibus, crudelitatem tantam latitare existimaret? Quis furor hic O Christiani? Quæ seui-  
 cies? Dij talem terris auertite pestem.*

*Sed verè dictum est, omnem Hypocrisin cum crudelitate coniunctam, vtriusq; enim idem author est. Pater mendacij, idem & Homicida à Salvatore non frustra nominatur: cades enim spirat, & minas, ad eaq; homines suos incitat. Ex vno hoc discite omnes. Hic dicit, & docet, quod omnes eius ordinis sentiunt, & faciendum censent, Hereticis, quos ipsi ita vocant, nullam esse seruandam fidem, sed ad Ignem esse rapiendos. Quanto verò honestius Ethnicus, qui etiam hostidatam fidem seruandam esse censuit? quam hic Censor, qui Imperatoriae Maiestati, & Illustriss. suis Principibus Germanis author est, vt fidem iuratam, & pacem Religioni nostræ in publicis Imperij totius Comitij ab omnibus ordinibus datam, violent. Homo Theologus, si Dijs placet, ad prædicandam pacem vocatus, ouicula Christi placidissima, Consiliarius sapientissimus, coram au-*  
 A 3 ditorio

ditorio totius Ecclesiæ, & sacri Imperij amplissimis statibus, qui fidem hanc & pacem Religioni nostræ datam, ac iuratum, proprijs suis manibus subscripserunt, in publicum prodire, eosq; ad perfidas istas machinationes armare audet. Hic certè in publicis Imperij Comitijs orator & Consiliarius audiendus. O secula, ô mores, ô Dægitas, Achitofeles, imo Iudas Ischariotas. Has ne furias seditionum, & motuum publicorû in Imperio Romano, in medio Germaniæ, faces, ferre æquum est? Reipub. interest, ne improbi, scelerati, & seditionum authores, impunè bellum ciuile concitare, & Imperij ordines committere, publicam pacem, & tranquillitatem perturbare, patriamq; dulcissimam prodere & euertere audeant.

Sed animum illi addidisse videtur, & spiritus auxisse ad hoc facinus, Laniena Gallica, cuius similem nulla vidit ætas, crudelissima. Circa hoc enim tempus liber ille est editus. Et tum tales spargebantur voces, & passim exaudiebantur, intra biennium idem per totam futurum Germaniam. Hic ergo occasionem commodam sibi nactus Orator hic grandiloquus videbatur, qua suos ad arma concitaret, vt in nos miseros scuirent, & obliti omnis honestatis, fidei & dextræ, quam dederant, brachia sua in nostro sanguine lauarent.

Quòd si nos idem in causa optima, & pijsima tentaremus, & ad capienda arma contra Idololatrias, qui omnem veræ Religionis doctrinam corruperunt, qui innumeros errores mordicus retinent, qui non conquiescunt crudelissimis suis consilijs, & machinationibus in exitium nostrum conspirare, & extrema moliri, Magistratibus nostris authores essemus: quas ibi tum os impudens ampullas, & sesquipedalia verba, homo ventosus sua grandiloquentia non proijceret, & voces contumeliosas euomeret? Hic audiremus, Nouatores illos, Magistros secularum, Hereticos, Heresiarchas, seditiosos concionatores,  
pacem



pacem & tranquillitatem publicò in Imperio sancitam, perturbare. Sed absit hoc à nobis, absit procul ab omnibus pijs.

Verum illis hominibus quidvis licet, illorum est loqui. Quia Catholici, filij obedientes & pacifici Ecclesie, hi quod dicunt & volunt sanctum est. His pro arbitrio licet leges figere, & refigere, interpretari, dispensare, abrogare pro tempore, & re nata. Et quid non? Quis enim, inquiunt, noster Dominus est?

Et quidem hætenus semper speravi Saxones, in primis verò scholam Vuittembergensem, suorum Præceptorum honorem contra Sycophantæ huius impudentissimi morsus vindicaturam. Sed fortè in manus illorum Liber hic non peruenit: aut indignum responso iudicauerunt, cum nihil noui contra nostram doctrinam, præter calumnias & conuicia habeat: quæ tamen nec ipsa noua sunt. Cumq; argumenta, quæ in eo continentur, iam dudum à nostris sint eruditè refutata: Ideo surda aure tanquam generosi equi, latratus canum præterierunt.

Sed quæcunq; causa sit, breuissimè & paucissimis verbis, mihi aliquid respondere, ad omnia illa tam proluxa & multa visum est, simplex enim veritatis oratio.

Confessio illa Augustana, quæ Symbolum est nostræ doctrine, firmis & indubitatis sacrosanctæ Scripturæ testimonijs nititur, secundum fidei analogiam adductis, consensumq; doctrine Prophetice & Apostolicæ complectitur. Et hætenus contra furores Diabolorum, & Sycophantarum calumnias & corruptelas illæsa permansit. Nec habent omnes illi, quicunq; contra eam scribere aliquid conati sunt, firmi aliquid: sed vel truncatas quasdam hinc inde ex sacra Scriptura, contra eius mentem decerptas sententiolas: vel ex Patrum scriptis & Conci-

et Conciliorum decretis testimonia, aut denique Traditiones humanas, quas illi opponant. Quæ omnia et singula, quantum firmissimis illis fundamentis opposita, valeant in serijs certaminibus: omnibus pijs in Religione sincera rectè institutis, notum est. Manet itaque, manebitque Confessio illa, inuitis et repugnantibus omnibus inferorum portis.

Quod ad conuicia illa horrenda Rabulæ illius: non agnoscimus ea, nec terrent nos clamores maledicorum, et rabiosorum canum latratus, quibus nos lacerant, cum in æternum cum omnibus suis coniuratis socijs probare non possint, verè illa in nos competere, eisue nos obnoxios esse. Ideoque non mouent, multò verò minus feriunt nos innocentes, fulmina ista. Tu maledices, inquit Dominus, Et ego benedicam. Magis verò in colluuiem ipsius Fabricij quadrant hæc et alia multa.

Quod ad causæ nostræ cognitionem, tantum abest, ut subterfugiamus legitimum Ecclesiæ Christi iudicium, quin paratissimi semper ad reddendam rationem, eius, quæ in nobis est, fidei, et spei, petentibus. Sed quod ad Conciliabulum Tridentinum: non solum irridemus illud, verum planè damnamus, et tanquam profanum, impium ac sceleratum execramur; quòd errores horrendos, Idololatriam multiplicem, blasphemias denique in Christum et verbum eius, ac sacrosanctam Scripturam confirmaret et doceat. Et nouimus, quibus illud constiterit tribularibus plerisque laruatis Episcopulis. Inter quos primarij nominis quidam, nec literas, nec natare nouerunt, adeoque linguam, in qua plerisque agebantur, ignorantes: Stigmata non Christi, sed Martis in suis corporibus gestantes. Et quo spiritu sint agitati patres illi, Canones et Decreta eorum abundè testantur, vsitatum regni Antichristiani impietatem stabilientia.

Ideoque frustra faber ille calumniarum, folles suos ventosos verbis suis ac spiritu inflat, minas spirans, et cades, sanguinemque

nemq̄ sitiens, Exemplo Chalcedonensis Synodi Imperatoriam  
Maieſtatem, & Principes ſuos ad arma contra nos, & executio-  
nem Conciliabuli illius Tridentini incitans & inflammans.  
Cum hoc nequaquam ſit cum Chalcedonensi, & Conſtantinopoli-  
tano, quæ priorum & doctorum in Scriptura ſacra virorum cœ-  
tus fuerunt, conferendum. Sed manipulus Coniuratorum, An-  
tichriſti Romani ſeruulorum, aut locuſtarum potius aceruus  
fuerit.

Nam vt innumeros alios taceamus errores, quos hoc con-  
firmavit, loco vnicū & veri Eccleſiæ capitis, quod eſt Chriſtus,  
perpetuò illi præſens: aliud ſibi elegerunt, quod colunt, & ado-  
rant, ſummum pontificem Romanum, idolum ſuum Antichri-  
ſtum, qui à fide iam olim defecit, doctrinas Dæmoniorum do-  
cens, prohibentium nubere, & cibos, quos Deus creauit. Quem  
tamen à nemine vllō modo reprehendendum ſentiunt, quòd non  
preſumatur tanti culminis vertex errare.

In locum Mediatoris vnicū inter Deum & homines, pro-  
pria & aliena hominum opera, cultus de ingenio hominum con-  
fectos, Miſſam ſuam Sacrificium verè propiciatorium pro pecca-  
tis viuorum & mortuorum, interceſſiones deniq̄ hominum mor-  
tuorum, & non ſolum interceſſiones, ſed etiam merita eorum  
ſubſtituunt: quaſi verò Chriſti meritum ſit imperfectum & in-  
ſufficiens, niſi hæc accedant. Cum tamen ille ſit agnus Dei, qui  
rollit peccatum mundi, & propiciatio non pro noſtris tantum,  
ſed totius mundi peccatis. **QVI VNICA** ſua oblatione con-  
ſumavit in ſempiternum ſanctificandos. Hæc verò ab homini-  
bus, aut potius Diabolis in Eccleſiam, contra veram & genui-  
nam ſacroſanctæ Scripturæ ſententiam paulatim inuecta.

Scripturam ſacroſanctam diuinitus inspiratam & pateſa-  
ctam, vociferantur, calumniantur & blaſphemant eſſe ambi-  
guam, dubiam, obſcuram, imperfectam, literam mortuam &  
occidentem,

B

occidentem,

occidentem, materiam licet, librum Hereticorum: (hisc enim titulis, homines isti Religiosi, socij nescio cuius, eam insigniunt) Cum sit lucerna pedibus nostris, norma & regula certissima & rectissima, ad quam omnes controuersie & certamina in Religione orta, sunt dijudicanda, & tanquam ad Lydium lapidem probanda. Huius verò loco, Traditiones humanas collocant, quasi pleniores, planiores ac certiores, quas nobis & toti Ecclesie Christi obtrudere conantur.

His ita positis, diuersa cum habeamus ab illis probationum principia, & fundamenta: Nostra enim sunt, Christus Dei & hominis filius, Ecclesie Caput in caelo & in terra presentissimus, propiciator & mediator inter Deum & homines vnicus, ac Scriptura sacra Prophetica & Apostolica, ex qua omnia probanda. Papistarum verò principia sunt, Romanus Antichristus, filius perditionis, & homo peccati, cuius immensam fingunt esse potestatem, qui iura omnia in scrinio sui pectoris habeat, Et Traditiones humanae, quas nomine Christi (quod ad prætextum suae impietatis retinent, ne omnino à Religionis Christianae professione videantur alieni) contra Christum, eius virtutem & potentiam negant, docent, ideoq; Antichristi veri & ipsissimi.

Quare inter nos & ipsos consensus nullus, pax & concordia in Religionis doctrina nulla, sicut nec inter capita Belial & Christum, sub cuius signis militamus, cum nec illi velint, nec nos possimus cedere, coire vnquam aut coalescere potest.

Cum igitur Fabricius & colluies ipsius nil aliud in ore habeant perpetuò, nil aliud etiam crepent, aut subinde ingeminent, quam Hereticos, & Heresiarchas, quibus nos coram toto mundo traducunt: Et insuper brachium seculare in nos concitent, & arment Potentes, vt in nostrum exitium conspirent, & tanquam iniuste Tridentini Conciliabuli Anathematis-  
mis diris

ad Lectorem.

9

enim diris condemnatos, armis publicè sumptis sciant, donec è medio tollant.

Nos Spiritus sancti gratia adiuti, de utroq; disputationem instituemus, ut luce meridiana clarius appareat, utri sint Hæretici: Et quomodo cum illis agendum. Cum aduersarijs autem de rebus ipsis, non conuicijs certabimus, sed probationum argumentis, ex sacra Scriptura fontibus depromptis, agemus. Quòd si tamen delicatis illorum auribus duriora quedam hac in parte videbuntur, sibi imputent, qui hanc necessitatem nobis sua maledicentia imponunt. Non sumus ἀναίδητοι. Sentimus nostra vulnera, & malis afficimur. Dolet nobis, & quidem vehementer dolet, ita calumnijs & conuicijs proscindi, damnari, & potentum non solum animos in nos concitari, sed etiam ipsos contra nos tanquam Hæreticos, blasphemos, pestes humani generis & ἀλάστορας armari, ut in nos innocentes sciant, opprimant, deleant, & funditus extirpent. Defensio itaq; omni iure nobis est concessa, armis licet imparibus. Nam qui quæ vult dicit, quæ non vult, audit. Sed Deo nos iuuante, ipsi gra-

ta, & Ecclesie eius salutaria, ac vtilia dicemus

ac faciemus & iam & semper. Tu

pie lector lege & iudica,

ac Vale.

B 1 Disputa-



DISPUTATIO DE  
HÆRETICIS, AN ULTI-  
mo sint afficiendi sup-  
plicio.

*Propositio prima.*



Postolus ex Spiritu sancto prædixit, oportere esse Hæreseis, sicut & Saluator ipse prior dixit, Necessè esse venire scansdala.

2. Quia non dormit, nec cessat Satan, hostis Dei & generis humani, præcipuè verò Ecclesiæ, zizania sua subinde spargere.

3. Nec desunt ingenia leuia, ipsius flabella, quæ morem gerunt illi excitanti, & instillanti prauas opinionones, ambitione mota.

4. Hinc adeo factum est, vt nec in veteri Testamento Pseudopropheta, nec in nouo Pseudoapostoli, & Hæretici vlllo vnquam defuerint tempore. Sicut Augustinus à Christi in cœlos ascensu, ad sua vsq; tempora hæreseis numerat 88.

5. Non ergo sacrosancta est accusanda Scriptura, quasi fons sit & mater Hæreseop, quæ ad hoc est diuinitus tradita, vt inde Deus verè agnoscat & colatur.

Chryf præfatione  
in Epist. ad Rom.

6. In quam sententiam D. Chrysof. scribit. Nam hinc, inquiens, innumera mala nata sunt, quòd Scripturæ ignorantur. Hinc erupit multa illa Hæreseop pernicies: hinc vita dissoluta: hinc inutiles labores.

7. Similis

7. Similiter & Cyrillus. Prodigia enim quadam  
quasi Prophetias e corde suo fingentes, (Hæretici) di-  
uina; spiritualiq; apponunt doctrina; non animaduers-  
tentes, ad quantam ij sui conatus impietatem erum-  
pant.

Cyrrill. in Ioannem  
lib. 1. cap 9.

8. Adeo igitur illud falsum est, vt etiam non alie  
unde melius & fortius Hæretici, quam ex sacra Scri-  
ptura fontibus, & fidei analogia conuinci, & refutari  
possint. Teste D. Augustino, qui in hæc verba scribit:  
Quid est aliud Vulpes capere, nisi Hæreticos diuinæ  
legis auctoritate reuincere, & sanctarum Scripturas  
rum testimonijs, ceu vinculis quibusdam, alligare atq;  
constringere.

August. lib. de vi  
bis. c. 10.

August. de Tem-  
pore serm. 107.

9. Damnanda est ergo impia hæc, & blasphema  
in Spiritum sanctum sententia illorum, qui sacra Bib-  
lia librum vocant Hæreticorum. Etsi enim hi, errores  
suos inde probare conentur: tamen non præbet illa  
eis arma, sed ea deprauata, inde illa sibi sumunt. Quod  
Dialecticis fallacia secundum non causam, vt causam  
dicitur.

10. Est autem Hæresis proprijs sine loquendo, non  
quibus in doctrina Religionis Christianæ error. Hu-  
manum enim est errare. Et hac ratione à sanctis quoq;  
humani nihil est alienum. Nam & hi in errores incidere  
possunt. Verum admoniti resipiscunt, nec pertinacis-  
ter defendunt conuicti.

11. Sed Hæresis proprie est pertinax erroris  
cuius pugnantis cum fundamento Religionis, & do-  
ctrinae Christianæ, propugnatio, nec cedere, etiam  
vbi conuictus quis ex verbi Dei vera & genuina sen-  
tentia fuerit. Sicut Hæresis generaliter sumpto vo-



August. lib. de utilitate credendi cap. 1.

August. lib. de utilitate credendi cap. 1.

Id. Epist. 162

cabulo dicitur quaelibet opinio cum verbo Dei pug-  
nans.

12. Hinc D. Augustinus, Hæreticus, inquit, est, ut mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximæ gloriæ, principatusq; sui gratia, falsas ac novas gignit opiniones, vel sequitur. Ille autem qui huiusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis, ac pietatis illusus.

13. Vnde iterum alibi dicit. Qui sententiã suam, licet peruersam, pertinaciter defendunt, quam tamen non ipsi pepererunt, sed à parētibus lapsis acceperunt: quærunt autē sollicitè veritatem, corrigi parati cum in- uenerint: nequaquã sunt inter Hæreticos deputandi.

14. Hoc igitur est, quod de se scripsit: Errare pos- tero, Hæreticus non ero.

15. Archiepiscopus Colossensis in Concilij Bas- siliensis appendice, rectè hoc esse discrimen inter Hæ- resin & Schisma dixit, ut Hæresin esse pronuntiãrit, Diuisionem, qua à fidei veritate quispiam segregetur. Schisma verò vel scissuram, cum quis eodem Religio- nis cultu seruato, præcipienti rectè nõ paret. Quibus addit: Quòd si paulo longius Schisma perstiterit, Hæ- resin parit. Constringit enim, inquit, aliquam sibi Hæresin Schismaticus, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.

16. Quia verò à Pontificiæ impietatis, & Idolo- mania multiplicitis, & horrendæ, patronis, Hæreseos crimen nobis intentatur: prius videndum est, an non iure optimo in illos ipsos, qui eius nos insimulant, hoc retorqueri possit ac debeat.

17. Ut autem sexcentos alios ipsorum errores, quos ordine recensere promptum esset, iam silentio prætereas



prætereantus: veteres quosdam Hæreseis, iam olim publicè totius Ecclesiæ Catholicæ iudicio & consensu damnatos, repetere visum est, quas ipsorum Maiores è cineribus eruerunt, quasque ipsi eorum Successores legitimi, & filij obedientissimi, accerrimè ac pertinacissimè defendunt.

18. Ebionæi Hæretici, custodiendâ censent etiam legis obseruantiam. Nec sufficere ad salutem SOLAM Christi existimant fidem. Vbi additur, vocabulum Ebionæi, significare pauperes. Ideoque verè dici & rectè, Ebionæos id est, pauperes, quia verè pauperes sint, & egeni in scientia gloriæ Christi.

Euseb. hist. Eccles.  
lib. 3. cap. 27.

19. An non planè idem sentiunt, eisdemque vtuntur verbis Pontificij, cum dicunt: Si quis dixerit fidem iustificantem, nihil aliud esse quàm fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam FIDUCIAM SOLAM esse, qua iustificamur, anathema sit. Et Can. 14. Si quis dixerit &c. hac sola fide Absolutionem & Iustificationem perfici, Anathema sit. Et Can. 29. Si quis dixerit, posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare, sine Sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, seruauit & docuit, Anathema sit.

Concil. Trid.  
Sess. 6. can. 12.

20. Romana autem Ecclesia hucusque professa est, seruauit & docuit, Sacramentum pœnitentiæ constare & perfici, cordis contritione, oris confessione, & operum satisfactione, nulla prorsus Christi facta mentione.

21. Ergo idem planè sentit Romana Ecclesia, credit & docet, quod Ebionæi Hæretici, qui negabant

SOLAM

SOLAM Christi fidem ad salutem sufficere, sed opus esse, non legis modo diuinæ, sed quod longè est deterrius, Humanarum quoque traditionum obseruatione de operibus quibusdā indebitis, & à Deo non mandatis.

Pontificij omnium  
turpissimi.

22. Imò longè peius de articulo Iustificationis Romanenses quàm Ebionæi sentiunt & docent. Hi enim fidem in Christum ad illam necessariam esse docebant. Illi verò eam penitus reticent, dum amissam Iusticiam recuperare docent, merito Contritionis, Confessionis, & Propriorum operum Satisfactione, nulla prorsus Christi facta mentione.

Iren. lib. 1.

lib. 1. lib. 1.  
lib. 1. lib. 1.

23. Valentiniani Hæretici ingentem Deorum turbam excogitauerunt, quod apud Ireneum est videre.

24. Romanenses Episcopi & vbi templum Idolatricum Ethnicorum, tantum mutato nomine, eadem retenta impietate, & Idolatria, in honorem D. Virginis Mariæ, tanquam magnæ Deorum matris, & omnium Sanctorum consecrauerunt. Diuorum Diuarumque innumeram confinxerunt multitudinem. Non solos Apostolos, Martyrum, Confessorumque multa millia: Quatuordecim insuper Opitulatores in necessitatibus, inter quos officia certa distribuerunt, inuocarunt. Et quod absurdius est, in numerum Deorum retulerunt, qui nunquam in rerum natura extiterunt. Georgium equitum, tanquam alterum Martem, in bellis Deum: Christophorum, quoque & Catharinam: de quibus miras excogitauerunt fabulas. Cum Græci homines ingeniosi, luserint eiusmodi figmentis, & imagines quasdam quasi, de rebus magnis commones facientes, proponere voluerint, quæ illi non intelligentes, Deos commenti sunt.

25. Hos

25. Hos non solum inuocant Pontificij, vt inter-  
cessores, sed etiam auxilium ab ipsis, vt Dñs veris, qui  
possint iuare, passim adsint, exaudiant inuocantes, &  
libèrent ex quibusuis necessitatibus, petunt. Quin &  
diuinos illis honores faciunt, sacrificantes victimas:  
vt Vito, pullos gallinaceos, & anathemata offerentes,  
donas ad declarandam suam gratitudinem pro libera-  
tione eximalis. Et sic omnipotentiam & omnipræsen-  
tiam, item quod sint *ναρδρυβάσαι*, illis tribuentes, non  
secus ac olim Ethnici Idololatræ.

Doch mit dem ge-  
ding/wann sie S.  
Weit nicht essen  
wöll/das es dem  
Pfaffen bleib.

26. Collyridianorum Hæresin describit Epipha-  
nius, mulierum, quæ in nomen & honorẽ semper vir-  
ginis Mariæ, sacrificium, panem nempe, obtulerint.  
Vanitatem, impium, nefariũ, & blasphemiam vocans,  
à prædicatione Spiritus sancti alienum, totum Diabo-  
licum opus, & Spiritus immundi doctrinam. Quam  
impietatem prolixè multis refutat. Quis, inquit, Pro-  
phetarum præcepit hominem adorari, nedum mulie-  
rem? Eximium quidem vas est, sed & mulier, & nihil  
à natura immutatum. Sit in honore Maria: Pater, Fi-  
lius & Spiritus sanctus adorentur, Mariam nemo ado-  
ret, non dico mulierem, sed neq; virum. Deo debetur  
hoc mysterium, neq; angeli cupiunt talem glorifica-  
tionem.

27. Quantus verò hætenus in Pontificia Eccle-  
sia cultus fuerit Mariæ exhibitus, quæ vota illi sint  
facta, tanquã Opitulatrici in omnibus necessitatibus,  
& perfoluta: anathemata passim in omnibus templis  
ipsi dicatis & consecratis, testantur, & res loquitur  
ipsa, cum ñs sint repleta. Et sic sacrificia illi oblata, ne-  
mo sanus negabit, cum vota Sacrificijs & in Scriptu-  
ra sacra

Albertus Magnus.

Pentecostes

capitulum

in die Pentecostes

de sancta Maria

et de eius

virtutibus

et de eius

officiis

et de eius

et de eius

ra sacra annumerentur, & non persoluitantur, sed offerri Deo scribantur. Ac verè & alij diuini honores D. Virgini Mariæ exhibentur à pontificijs. De hac enim scribitur, quòd fuerit peccatorum reconciliatrix, & Mediatrix, omnium peccatorum Saluatrix. Hinc & de Mariæ cum Deo conformitate liber extat, in quo dicitur: Domina omnium, vtpote mater Conditoris omnium existens. Vbi & illud habetur: Adæ verò cœlesti (Christo) non inueniebatur adiutor similis. Maria in opere est similima Deo, vnde meritò sibi dici potest illud Danielis: **NON EST CONFUSIO CONFIDENTIBVS IN TE.** Hinc etiam insignis & valde illustris illius primæ Euangelicæ concionis & promissionis de Christo, ac Bibliorum sacrorum, corruptela turpissima, qua Mariæ tribuitur, quod soli Christo debetur, & dicitur: **IPSA, scilicet Maria, conteret caput serpentis.**

28. Hinc & cotidiana in omnibus templis Papiasticis planè Idolatrica Mariæ adoratio, in Salute Regina misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, ad te clamamus exules filij Euxæ, ad te suspiramus, gementes &c. Eia ergo Aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte &c. Nam quod inter Duliam, Hyperduliam & Latriam illi distinguunt, ineptum est, & nugæ hæ dudum ab alijs quoque eruditis Pontificiæ Religioni addictis aliàs refutatæ sunt. Huc accedit, quod orant, & in templis suis cantant, inuocantes D. Virginem Mariam: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe. Nam lex & ratio suadent, matrem præesse filio. Ora ergo suppliciter, & **PRAECIPE SVB LIMITER,**

LIMITE, vt nos in mundi vespera, ad sempiterna  
deducat gaudia. Et huius farinae plurima impiissima  
in suis Orarijs & Hortulis animæ reperiuntur. Quis  
ergo Valentinianos esse adhuc negabit?

Mulier, quid mihi  
tecum rei est?

29. Montanus Hæreticus, primus prætextu pa-  
raclæti, id est, Spiritus sancti, ieiuniorum leges indixit  
se, & coniugium soluisse scribitur.

30. Pontificios in utroque non cum Montano Hæ-  
retico solum, sed etiam cum Encratitis, Tacianis &  
Manichæis facere, praxis Romanæ Ecclesiæ, & expe-  
rientia longi temporis testatur, & loquitur: dum non  
solum leges ieiuniorum certis diebus & anni tempo-  
ribus, sed etiam discrimen ciborum indicunt & præ-  
scribunt. Coniugium carnale vitæ genus pronunci-  
ant, ideoque suis spiritualibus, quemadmodum & Ma-  
nichæi suis perfectioribus interdicit, quod sancti  
esse debeant.

31. In Iure Canonico 22. q. 2. habetur, Copula  
carnalis, nec Legali, nec Evangelica, nec Apostolica  
authoritate prohibetur. Ecclesiastica tamen lege (in-  
tellige Romanensium Episcoporum) penitus inter-  
dicitur: Et Thomas Aquinas. Ad perfectionem tendens  
ribus, maximè vitandum est vinculum coniugale. Idem:  
Non expedit homini ad regna cœlorum tendere vo-  
lenti, nubere.

32. Pelagianorum Hæresis non vna, sed multi-  
plex fuit, sicut ex varijs D. August. libris, quos con-  
tra illos scripsit, apparet. Concupiscentiam natura-  
lem, ideoque non esse peccatum: Hominem Liberum  
habere etiam in spiritualibus arbitrium, docuerunt:  
Gratiam secundum merita dari. Hominem viribus  
suis na-

in his  
libris

fuis naturalibus, absq; gratia Spiritus sancti, legem Dei posse implere, eamq; ad hoc solum dari, vt facilius possit. Per legem eiusq; obseruationem esse Iustitiam. Pelagius item & discipuli eius tempora diuiserunt, dicentes, primum vixisse iustos homines ex natura, vt Patriarchas, qui duce natura Deum cognouerint, & quemadmodum esset viuendum, scriptum, gessisse in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. Deinde sub lege Moïsis. Tertio sub gratia, quorum singulorum obseruatione sint saluati quibusuis temporibus viuentes.

33. Hos errores & Hæreseis Pelagianorum omnes & singulas, Pontificij magno cōsensu pertinaciter defendunt pro Catholicis dogmatibus. Concupiscenziam in baptizatis reliquam, peccatum esse pernegant. Hominem viribus & puris naturalibus Deum posse diligere super omnia: facere & implere legem Dei, quod ad substantiam Actus: Homini facienti quod in se est, Deum infallibiliter dare gratiam: De merito congrui & condigni disputant, propter quod Deus det gratiã: Precepta Dei esse possibilis: Homines ante legem Moïsis latã, obseruatione legis Naturæ, Iudæos Mosaicæ, Christianos nouæ & perfectioris legis Evangelicæ Christi iustificari & saluari.

34. Et hos quidem, aliosq; complures errores Romanenses communes, habent cum veteribus hæreticis, à Catholica Christi Ecclesia damnatis.

35. Nouas verò Hæreseis Maiores ipsorum excogitauerunt, & in Ecclesiam propemodum innumeras inuexerunt, quas ipsi ab eis acceptas, iam etiam admoniti, & scriptis nostrorum ex verbo Dei etiam  
in pro

in proprijs conscientijs sunt conuicti, mordicus tamen usq; retinent, & pertinaciter vi & armis, ac quibus possunt modis propagare ac defendere conantur: singulas recensere ordine, nimis foret prolixum, & alibi eorum circa singula doctrinæ cœlestis capita, errores deteguntur & refutantur.

36. Eos verò qui Augustanam amplectuntur, & profitentur confessionem, etsi à Pontificia turba, non nisi Hæretici audiant (qua tamen in re Maiores ipsorum mitiori vsi sunt vocabulo, Schismaticos vocâtes, quòd ipsorum etiam iudicio, nullum fidei impugnarêt articulum) nulla tamen adhuc legitimo iudicio, vllius, ex sacrosancta Scriptura aut vniuersalibus Concilijs, veraciter se in ea fundantibus, hæreseos sunt conuicti. Et quid de Canonica Scriptura, eiusdemq; genuina sententia, ac interpretatione, Symbolis item, & omnibus ac singulis doctrinæ Christianæ capitibus sentiant, ex libris eorum, in primis verò Confessionibus publicè exhibitis, est manifestum. Ac coram legitimis iudicibus fidei suæ rationem reddere sunt parati.

37. Hæreticos igitur non error facit, Neq; enim Ecclesia semper ab omni errore est immunis. Nam sunt qui super fundamentum ædificant fœnum & stipulas. Sicut & Apostoli carnales habuere imaginationes de regno Christi in hoc mundo, etiamnum ascensionis ipsius die in cœlum.

38. Sed pertinacia in concepto errore, & perseverantia, vbi homines rectius verbo Dei instructi, & propriæ conscientie testimonio conuicti, veritati locum dare nolunt, quod est diabolicum.

39. Hinc

39. Hinc est, quod Apostolus præcipit: Hæreticū post vnam & alteram admonitionem deuita.

40. Quo non vult, de vita tollendum esse propter errorem aut Hæresin. Nō enim diuisim, sed cōiunctim est legendū, DE VITA. Et verbum est, non nomen.

41. Et quidem quod ad rem ipsam: in veteri Testamento, Dei mandato pseudoprophetæ occidebantur, & e medio tollebantur lapidibus obruti.

42. In nouo verò tale quid nusquam haberi asserimus, non eam quidem ob causam, quòd tum Magistratus Politici nomina sua Christo Regi cœlesti non dedissent: sed propter alias, de quibus post dicetur.

43. Nō patrocīnamur Hæreticis, neq; eorū flagitia probamus: multo minus vllius erroris, nedum Hæreses per Dei gratiam nobis sumus conscij.

44. Sed Diaboli mancipia, organa & flabella esse Hæreticos pronunciamus, in quæ virus ille suum inspīret, & effundat, cuius laqueis captiui teneantur ad omnem ipsius libidinem, pestes Ecclesiæ maximas, ab omnibus pijs, vbi admoniti resipiscere noluerint, merito damnandos.

45. Quod verò ad legem Mosaicā de pœnis Pseudoprophetarum, & sic Hæreticorū: Politica illa fuit in Rep. Israëlitarū veteris Testamenti tempore obseruata, quæ hac ratione nihil magis ad nos, quàm aliæ Reip. istius Israëliticæ leges & statuta.

46. Quia lata certo populo, certo tempore duratura, sicut Dominus sæpe legibus Mosaicis addit: Hæc obseruabitis in generationibus vestris. Sicut etiā Deus vetus Testamentū cum solo populo Israëlitico iniit, super omnibus verbis & legibus, quas per Mosen ad ipsos locutus est.

Exod. 24.

47. Sed



47. Sed alia & diuersa est ratio noui Testamenti à veteri.

48. In nouo enim, vt Prophetæ prædixerūt, Gladius in vomeres cōuertendi erant, hoc est, regnū Christi non constituendum est, sicut nec etiam propagatur armis. Sed Messias percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum occidet impiū, hoc est, prædicatione verbi Dei omnia in Ecclesia peragentur. Gladius hic, est verbum Dei, Ephes. 6.

49. Et Christus saluator dulcissimus, ab Apostolis interrogatus, cum Samaritani ipsum recipere nollent, nū vellet vlcisci hanc iniuriam igne cœlitus demisso: increpans illos, respondit: Nescitis cuius spiritus filij sitis? filius hominis non venit perdere animas, sed quærere & saluare, quod perierat.

50. Similiter & in parabola de Zizanijs, non vult euelli ea, ne vnà triticum eradicaretur.

51. Zizania in agro Domini sunt Hæretici, à Diabolo seducti, & seminati. Quod si omnes statim, vbi emanati fuerint, euellerētur, hoc est, occiderentur, perirēt, qui postea tamē successu temporis sanari & conuerti, & fieri in area Domini triticum, & sic saluari possunt.

52. Quòd verò ibidem dicit: Sinite vtraq; crescere vsq; ad diem messis: nō tollit legitima mēdia, quæ tentanda sunt cū illis: sed hortatur suos ad patientiam, vt si omnia frustra cum illis tentauerint, ne frangantur impatientia, sed Deo commendent, qui suo tempore poenas de illis sit sumpturus.

53. Legitimū porro medium, quo cū Hæreticis agendum, est verbum Dei, siue Scriptura sacra, qua conuincendi sunt errorum, & ora illis obstruenda.

54. Hunc

54. Hunc gladium Christus ipse Apostolis, cum eos in vniuersum ablegaret orbem, vt eū sibi subijcerent suo ministerio, porrexit, eosq; infestiuū, dicens: Ite in orbem vniuersum, & docete omnes Gentes seruari omnia, quaecunq; præcepi vobis.

55. Hoc gladio instructum & exercitatum, vult Apostolus Episcopū, vt sit potens in doctrina verbi Dei, quò possit *ἐπισημαίνειν τὰ ἀλάλεια νοσήα*.

56. De hoc gladio Apostolus gloriatur, dicens: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed Dei potestate valida, ad destructionem munitionum, vel vt alij reddunt, quibus consilia demolimur, omnemq; sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendū Christo, ac paratam habemus vindicationem omnis contumaciæ, postquam impleta fuerit vestra obedientia.

57. Hoc gladio Dominum Iesum, Antichristū, interfecturum esse Apostolus prædixit, nempe spiritu oris sui, hoc est, verbo suo reuelabit impium illum, vt publicè agnoscatur & fugiatur.

58. Quod factum nostro seculo, immensa Dei bonitate & clementia ipsius singulari erga Ecclesiā, stricto saltem calamo, quo immerfus est, & confixus, grati prædicemus.

59. Cum hoc ipsum antea armis & maximis viribus, summi orbis Christiani Monarchæ frustra, & infeliciter sæpe tentauerint.

60. Hoc gladio vsi & in primitiua Ecclesia Apostoli, ab Hæreticis sæpe præclaras reportauerunt victorias, & triumpharunt.

61. Hoc

61. Hoc eodem patres eorum successores, hinc inde in locis diuersis, quibus ortæ sunt, hæreses debellauerunt & extinxerunt. Et quidem multò plures, quàm August. in Concilijs factum est, vbi non semper conuenire poterunt commodè, nec opus fuit.

62. Hoc gladio sancti quoque Episcopi, in generalibus Concilijs congregati, non sua quadam auctoritate, vel multitudine aut potestate, Arrium, Nestorium, Eutycheten & Macedonium Hæreticos vicertu, prostrauerunt & damnauerunt.

63. Vbi tot patres sancti, Ecclesiæ Catholice doctores & gubernatores congregati, nusquam contra etiam conuictos verbo Dei, & publicè legitimo iudicio damnatos Hæresiarchas políticos Magistratus ad arma concitasse, brachiumue seculare inuocasse leguntur, vt eos facta executione occiderent, cum quidem hanc ad rem monitos, haud dubiè promptos & paratos, quæ fuit tum Christianorum Impm. erga illos obseruantia, habituri fuissent.

64. Sed sufficiebat illis publica sententia in legitimo iudicio hæreseos condemnatos, publicè ab omnibus Hæreticos agnosci, vt agniti caueri, quod Christus dixit, & vitari possent.

65. Et tunc recepta erat, & à tota Ecclesia approbata sententia, quæ nulli bono in ea placebat, si vsq; ad mortem, in quenquã, licet Hæreticum, seruiretur. Neque verò si longè à morte cuiuslibet molestiis libido vlciscendi malum pro malo retribuatur, approbamus, inquit Augustinus. Multò amplius detestantes, si hac occasione, velut pro vnitate conandi, concupita quis auferat aliena quorumcumque priuata.

Augustin. contra  
Cres. Gram. lib. 3.  
cap. 50.

August.

Confisatio bo-  
norum.

D

66. Quod

August.

66. Quod verò postea sententiam mutasse à quibusdam dicitur Augustinus, quòd scribat, Pelagianos contemntes Concilij œcumenici iudicium, vigilantia & diligentia pastoralis, post factum illis competens, sufficiensq; iudicium, vbicunq; isti lupi apparuerint, conterendos esse, siue vt sanentur, & mutantur, siue vt ab aliorum salute, atq; integritate vitentur, adiuuante pastore pastorum Christo.

67. Manifesta est loci huius, eiusq; sententiæ deprauiatio. Pastoralis enim vigilantia conterendos esse dicit: pedum autem pastorale, vel Episcopale, non carnificis est gladius, sed spiritus, quod est verbum Dei, de quo supra. Nec enim tum alio vtebantur Episcopi. Deinde ita vult illos conteri, vt vel sanentur, & mutantur, vel ab alijs vitentur. Quod itidem non de occisis gladio carnificis, vel exustis igne intelligi potest, sed de viujs & superstibus, verbo Dei in viam reuocatis & reductis, vel sententia notatis, & excommunicatis ab Ecclesia. Item adiuuante pastore pastorum Christo, dicit, non brachio carnali, nec gladio Magistratus secularis, quo ἀρχιποιμῶν à Petro defendi noluit.

68. Et quidem verum est, tandem non contradicentium verbis, sed demonstrantium superatum exemplis, in hanc D. August. concessisse sententiam, sicut de se scribit, vt iudicaret Hæreticos, non verbo tantum & disputationibus, sed vi etiã per ordinarios Magistratus coercendos. Et hoc sibi videri non inutile, & multos hoc modo correctos, testatur. Sed aliud est coercere & corrigere, aliud occidere. Illud vult, hoc nō dicit: occidere enim non est corrigere, sed perdere. Et vult

August. epist. 48.

vult terrorem, & doctrinam coniuncta esse, comparans Donatistas Phreneticis, qui ligandi sunt, quod nimium sint inquieti.

69. Ideo autem vi coherceri Donatistas voluit, quod non solum inquieti, & turbulenti fuerint, sed vim etiam fecerint. Ideoque non tam ad errores in doctrina Religionis corrigendos, quam ad motus illorum, & sedandos & puniendos ac cohibendos, ubi non verba semper sufficiunt, sed verberibus & pœnis opus est, eas adhiberi recte iudicavit.

70. Sicut nostro tempore Thomas Monetarius seditiosus fuit concionator, qui rusticam miseram turbam, ad arma contra Magistratum legitimum capiendam, cōcitavit, recte postea capitis supplicio affectus est, non propter errores, quos in doctrina Religionis fovit, sed propter seditionem, quam in politia movit.

71. Et quidem scimus in Pōtificia Ecclesia iam per aliquot secula **M A X I M A M** fuisse, & esse: Hæreticus ad ignem. Sicut olim Ethnici; Christianus ad Leonē, clamabant.

72. Quia Deus eorum, ignis consumens est, qui plurimos sanctissimos doctissimosque viros, insignia Ecclesiæ luminaria Vulcano consecrauit. Multos etiam metu pœnæ deterruit, imbecillitate fractos, ne, quod sentirent, faterentur.

73. Sed recte contra dictū est, & notata crudelitas bestiae Romanæ, & purpuratae meretricis Babylonice sanguinolentia, quæ bonis non placuit in Ecclesia. **IGNIS NON SOLVIT ARGUMENTA.** Sicut & proprius illorū Poëta falsè Romanū Pontificē notat, quod Martinum Lutherum vincere cupiat, non argumētis, sed magis ferro.

Palingen. in Zodiaco.



Ioan. 8.

74. Verum hoc ipsum argumentum est, ex quo spiritus, per quem agitantur, apparet, nempe ille, qui ab initio fuit mendax & homicida, & in veritate non stetit. Quia veritas in eo non est. Quæ duæ virtutes plerumque sunt coniunctæ, & produnt suum patrem, Christo teste, in hoc ipso argumenti genere.

Matth. 23.

75. Damnandus est ergo furor planè Diabolicus Papistarum, qui ita miserandum in modum homines propter sinceram Religionem passim excarnificant: & quidem pios, synceros & innocentes Christi, & verbi ipsius confessores, ut veniat super ipsos omnis sanguis iustus, ab Abel usque huc effusus, implentes mensuram patrum suorum, qui Prophetas & Apostolos occiderunt.

August Epist. 158.  
ad Marcellinum  
de Donatistis.

76. Hoc ipsum olim fecerunt cæcæ gentes Idololatæ, veri Dei ignaræ. Ideo August. etiam hanc ob causam non vult Hæreticos mortis supplicio affici, ne passiones seruorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine dehonorentur.

77. Quare alij quoque peccant, quicumque prætextu Religionis sinceræ putant sibi licere gladium in Hæreticos etiam stringere.

78. Nam alia sunt media, quibus cum errantibus & seductis agendum est, ut in viam redeant. Verbo nempe Dei erudiendi sunt & conuincendi, & reducendi in viam, quantum omnino fieri potest.

79. Pertinaces vero, qui lucriferi omnino non possunt, coerceri & custodiri possunt, ne noceant, aut seducant alios, venenumque suum spargere queant.

80. Quod vero obijcitur, ad Magistratus politici officium pertinere, ut in blasphemias & blasphemos gladio

gladio animaduertat, quia custos sit vtriusq; tabulæ Decalogi, quod ad externam disciplinam attinet, quod sit morale hoc præceptum, cum omnium gentium leges blasphemos puniri voluerint.

81. Item minora delicta, hoc est, quæ contra posteriorem tabulam committuntur, morte mulctari, vt homicidia: Hæreticos verò occidere animas, ergo multo magis hæreseis.

82. Præterea, honestos filios contumelias & iniurias parentibus illatas, non relinquere inultas. Multo igitur magis gloriam Dei vindicandam.

83. Sciendum est, duo esse in præcepto de pœnis blasphemorum, & pseudoprophetarum. Est enim generale, & est speciale.

84. Genus est morale, blasphemos, pseudoprophetas & hæreticos non esse ferendos. Et hoc modo omnium gentium leges punierunt blasphemias, Deorum & Religionis contemptores.

85. Species est, & circumstantia certa, quomodo videlicet sint tractandi & puniendi blasphemus, & falsi doctores, hoc est, hæretici. Et hoc est Mosaicum. Huic enim politia suæ Deus per Mosen, hanc legem præscripsit, certa pœna definita, nempe vt lapidibus obruantur.

86. Hæc lex hoc modo ad Christianos non pertinet, quod non sint in illius politia leges iurati. Sicut nec reliquas iudiciales leges Mosaicas Christiani obseruare tenentur. Quia propriae fuerint, & peculiare illius populi & politia, pro ratione locorum, personarum & temporum obseruanda.

87. Deinde, ingens est discrimen inter eos, qui sci-

entes & volentes ex proposito peccant, Deumque blasphemant. Et eos qui inscī hoc faciunt, & non ex malitia vel proposito animi, sed errore mentis, & iudicij imbecillitate, à Sathana fascinati peccant, vt errores agnoscere non possint.

88. Hæretici plerique, etsi certum sit eos Deum blasphemare: tamen id non omnes faciunt ex proposito animi, sed veritatem & gloriam Dei, suam, aliorumque salutem quærere videntur. Et zelum habent, licet non secundum scientiam. Nam si certò scirent se errare, in viam utique redirent. Sed se rectè sentire, & nequaquam in Deum blasphemos esse arbitrantur. Ideoque misericordia magis digni, quàm morte mulctandi, & sic in æternum exitium tradendi, vt pereant, videntur.

89. Cuius rei argumentum est, quòd multi Hæretici ita mordicus errores suos à Sathana fascinati retinent, vt non solum persecutionem & exilium sustinere malint, verumetiam magna audacia quoduis mortis etiam supplicium subeant & ferant, quàm suos errores abijciant. Quod & in Anabaptistis est videre. Quòd si scirent malam se fouere causam, nunquam volentes & scientes mortis adirent periculum.

90. Hic certè apud eiusmodi homines gladius vltor & ignis nihil proficiunt, non mutant animos, non solunt argumenta, nec meliores reddunt homines. Sed iustitutione & doctrina tales indigent, quibus si nihil proficiatur, frustra extrema illa remedia adhibentur.

19. Et hinc locum habet illud Christi, de quo supra: **Sinite utraq; crescere, ne simul & triticum eradicetis.**

Quia



Quia possunt aliqui ex illis adhuc conuerti: quod fieri nequit, si in errore adhuc perseverantes è medio tolerantur. Vbi non temporaliter solum, sed in perpetuum sibi & Deo pereunt.

92. Præterea non omnes Magistratus ita sunt in sacris literis exercitati, vt ipsi doctrinam Religionis, controuersias & certamina intelligant. Ideoq; ab aliorum tantum iudicio dependent. Imò etiam studiosè à cognitione sacrae Scripturae arcentur & prohibentur à suis, quorum iudicio stare tenentur. Et sic illorum tantum sunt Carnifices.

93. Nec porrigendus est gladius hac concessione Magistratui cuiquam, cuiuscumq; tandem sit Religionis, vt sæuiat publica quasi & diuina auctoritate in quoslibet diuersæ Religionis homines, tanquam Hæreticos. Quæ enim hæc laniena futura esset?

94. Et quidē facere tenentur filij Dei pro gloria eterni sui patris, quod possunt legitimè pro sua vocatione.

95. Quòd verò Apostolus dicit: Hæreticos post vnā & alteram admonitionem deuitandos, quia subuersi sint, & proprio iudicio condemnati.

96. De Hæresiarchis est accipiendum, quorum fere nullum in viam rediisse, aut conuersum vulgò perhibetur. Hi male sibi conscij, propter errores à se confictos propriæ conscientia testimonio conuicti, sicut & pertinaces ipsorum discipuli: tamē φιλαυσία, ne videantur errasse, reuocare & Deo dare gloriam nolunt: sed inflati opinione scientiæ, quiduis potius fingunt, omnia inuoluentes, modò errores suos palliant, & tueantur, ne scientiæ laudem amittant, & de sua

de sua existimatione periclitentur. Et sic magis diligunt gloriam, quæ est coram hominibus, quàm eam, quæ coram Deo est.

97. Ideoq; in sensum reprobum dantur, & excæcantur, vt in erroribus volentes permaneant, contra conscientia propriæ testimonium, & pereant.

98. Porro ingens est discriminẽ inter Hæresiarchas, hoc est, authores alicuius hæreseos, seu prauæ & Hæreticæ opinionis: Et inter seductos, qui sæpe in viam, Deo iuuante, reuocantur.

99. Et hoc est Ecclesiæ, & piorum doctorum officium, vt sanare studeant, & suo ministerio, quantum per Dei gratiam possunt, mutare animos errantium verbo sanæ doctrinæ cœlestis, quod Gladius est & Ignis, quo conuertuntur conuertendi errantes.

100. Vt maximè autem videatur satius esse Hæresiarchas statim è medio tollere, ne virus suũ latius spargant: Tamen hoc modo causæ non est consultum (etiam si ipsi digni, qui hæc patientur, essent) quòd quibusdam sublatis, nondum omnes fenestræ Sathanæ sunt obstructæ & obturatæ. Quia nunquam dormit, sed alios mox potest Deo permittente, æquè nocentes excitare.

101. Quòd si carceri perpetuo mancipentur, etiam nõ latè spargent suos errores, sed fortè hoc modo corrigi possent. Si verò id ab eis impetrari nequeat, nihil peccatum est humanitate hac in parte.

102. Quamuis fieri & hoc possit, quòd sicut lupus pilum quidem mutat, sed non animum: Ita hi quoque mali operarij, metu pœnarũ & diuturni carceris squaslore fracti, pietatem simulare discerent, retenta inter  
rim

rim impietate, & celato errore in corde. Sed ne sic quidem male. Siue enim veritate, siue per occasionem, modo <sup>Phil. 1.</sup> blasphe-  
mare, & errores spargere, ac defendere cessent. Nec enim opus est tales in pristinum locum restituere, & periculum cum aliorum multorum periculo facere: Sed sicut Canones habent, locum inter Auditores in Ecclesiæ societate obtinere. Nacti enim vel leuem occasionem talia ingenia, ad ingenium facile mox redeunt. Quod nihil simulatum diuturnum. Imò ne quidem vnquam fortassis, verè, seriò, & ex animo, animum mutauere.

103. Sicut & alij sunt Hæretici versipelles, qui quæadmodum ipsorum Magister mille artifex in angelum lucis se transfigurat: ita illi quoque cum sanis Ecclesiæ veræ doctoribus loquuntur similia, ipsedemque planè vtuntur verbis, interim verò dissimilia sentiunt. Vt Irenæus etiam de sui temporis Hæreticis loquitur: cuius rei, nostra quoque ætas satis exemplorum suppeditat.

104. Sed nec vt deportentur, & relegentur aliò, ex re esse, aut consultum videtur admodum. Quia alibi æquè magnas turbas dare, & plus etiam nocere posse alijs, & Ecclesiæ videntur, quorum est habenda ratio.

105. Non igitur pijs Magistratibus consulendum, vt Hæreticos & falsos Doctores, vltimo afficiant supplicio. Sicut nec optimi & pijsissimi primi Christiani Imperatores Romani, etiam in conuictos, & legitime iudicio Ecclesiæ damnatos Hæresiarchas, gladium strinxerunt.

E

106. Nec

106. Nec tamen damnamus Christianos Imperatores, qui postea pro singulari suo, erga Rempub. Christianam zelo, in tanta prodigiosorum & monstrorum sui seculi Hæreticorum licentia, quemadmodum recensentur in C. titulo de Hæreticis, & Manichæis, & Samaritanis. I. Arriani, &c. durius cum illis agendum statuerunt, vt ibidem

**Lex Martiani**  
**habet.**

**F I N I S.**



106. Nec

F



DISPUTATIO DE  
UNIONE PERSONALI

in Christo & Romanorum Rom.

FRANCISCO

Cum veritate subiecti Sacramenti  
de Trinitate

PRÆSIDIO

REVERENDO PATRI CLARIS

SSIMO D. THEODORICO SCHNEIDER

Philosophiæ & Theologiæ Doctore & Professore


Publico in Universitate Tubingensi

Magistro & Rectori

Mag. Theol. & Phil. in Aula

Mag. Theol. & Phil. in Aula

Mag. Theol. & Phil. in Aula



TUBINGÆ

ANNO 1717

Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library or collection label.

Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library or collection label.





ULB Halle

002 378 663

3




ant. cecidantur se  
e sacre scriptur. **102**  
hoc numero conset  
e bene notis. Jam  
les quadraginta di  
cunant. et helyas  
n. et ipe dominus n.  
ator n. ihc xpc. huc  
ii numeru implevit.  
isen significatur les.

mus in hoc seculo. **103** u  
sumo quam mercedem ad  
didit apostolus. Sequitur  
et dicit. **104** expectans illam  
beatam spem. et manifesta  
tionem glie bean dei. et sal  
uatoris nri ihu xpi. **105** In hoc  
ergo seculo quasi quadragi  
simam abstinerat celebra  
mus. cum bene unimus.







DISPUTATIO DE  
HÆRETICIS, AN ULTI-  
mo sint affiendi sup-  
plicio.

*Per Dei gratiam.*

PRÆSIDÈ  
REVERENDO ET

CLARISS: VIRO, IACOBO HEER-  
BRANDO, Theologiæ Doctore, & Professore ce-  
leberrimo in Academia Tubingensi, Præceptore suo  
omni obseruantia colendo, M. IOANNES  
VVALCH Schorndorffensis, 4. Maij, hora  
sexta matutina, in aula noua, subse-  
quentes Theses pro viribus  
defendere conabis-  
tur.



TUBINGÆ,  
ANNO M. D. LXXVI.

